


166.482





Ujfalusi. O. 655.

575945

MONUMENTA LATINA
LITTERATURAM HUNGARICAM ILLUSTRANTIA
EDIDIT LADISLAUS JUHÁSZ

Tomus III. (1458—72.), pars I., fasciculus I.

- I. Prothasius de **Boskowitz.**
- II. Marsilius **Ficinus.**
- III. **Galeottus** Martius.
- IV. Baptista **Guarinus.**
- V. Nicolaus **Machinensis.**
- VI. Franciscus **Maturantius.**
- VII. Gaspar **Tribrachus.**


MTA
KIK



0 00005127982 1

MCMXXXI.
KIRÁLYI MAGYAR EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST

166482



Monumenta Latina Litteraturam Hungaricam Illustrantia

— Tomus III. (1458—72.), pars I., fasciculus I. —

I. Prothasius de Boskowitz.

Prothasii duae epistolae sunt, quae ad litteraturam Hungaricam attinent:¹ una ad Galeottum Martium Narniensem, altera ad Ioannem (Ianum) Pannonium scriptae sunt. Quae litterae una cum epistolis Galeotti et Iani, ad quas respondit Prothasius, in codice Vindobonensi (*V*) numero 3204. signato ad nostram aetatem remanserunt, et quidem ad Galeottum scripta in fol. 148r—v, ad Ianum autem 149r—150r. Ex quo codice Eugenius Abel omnes quattuor epistolas bis edidit; primum in ephemeride, quae Egyetemes Philologiai Közlöny inscribitur, a. 1879. Epistolae Prothasii in pag. 3—4. et 5—6. (*a*₁) — Iterum in *Analectis* a. 1880. in pag. 91—92. et 92—94. (*a*₂) — Epistolam ad Galeottum scriptam nos ipsi edidimus inter epistolas Galeotti, in pag. 4. (*i*)

Bibliographia. Eugenius Abel: Janus Pannonius életéhez és műveihöz. Egyetemes Philologiai Közlöny, 1879., pag. 1—6. — *Idem*: *Analecta ad historiam resurgentium in Hungaria litterarum spectantia.* Budapestini—Lipsiae, 1880. pag. 90—94. — Galeottus Martius Narniensis: Epistolae. Edidit Ladislaus Juhász, Roma, 1930., pag. 3—4., 10. (*Bibliotheca Scriptorum Medii Recentisque Aevorum — Saec. XV.*) — Iosephus Huszti: Janus Pannonius. Pécs, 1931., pag. 152., 217—18., 243. et alibi.

Scriptura. Codicem manuscriptum non sequebatur: scripsimus *ae* (pro *e*): aequalis, aetas, prae-, quae; (*tu*)*ae*. — *h* (*ch*): mihi, nihil. — *m* (*n*): nunquam, umquam. — *mm* (*m*): accommo. — *t* (*c*): Laurentius.

Annotationes criticae. 1. *tit.* Prothasius—salutem] P. O. E. G. M. N. preceptori suo Sa. V, P(rocopius) O(lomucensis)

¹ Epistolam quandam Prothasii a. 1466. ad Ioannem (Vitez de Zredna) archiepiscopum Strigoniensem scriptam v. apud Comitem Iosephum Teleki: Hunyadiak kora Magyarországon, tom. XI., pag. 224—25.

E(piscopus) G(aleoto) M(artio) N(arniensi) preceptori suo
 sa(lutem) a_1 , P[rothasius] O[lomucensis] E[piscopus] G[aleoto]
 M[artio] N[arniensi] preceptori suo sa[lutem] a_2 — ${}_2$ diis] dis j
 — ${}_3$ emoliment] emolumenti j — ${}_5$ consilia] similia a_1a_2 — ${}_{10}$
 tum] iam a_1a_2 — ${}_{12}$ etc. om. a_1a_2 — B.] Buda (mendose scripsi)
 j — Maias] Mayas Va_1a_2 — 2. tit. Prothasius—Ioannem]
 P. O. E. fratrem ac amicum carissimum dominum Ioannem V ,
 P(rocopius) O(lomucensis) E(piscopus) fratrem ac amicum
 carissimum dominum Ioannem a_1 , P[rothasius] O[lomucensis]
 E[piscopus] fratrem ac amicum carissimum dominum Ioan-
 nem a_2 — ${}_1$ scriptae] sc. v. O. V , om. a_1a_2 — Hungariae] Hun.
 V — ${}_5$ cooperaretur] cooperatur a_1 — ${}_8$ Ioannes] Io. V — his]
 hiis Va_1 — desistas] desiscas a_1 — apud] aput Va_1 — ${}_9$ quis]
 qui a_1 — ${}_{12}$ Poggium] Pogium a_1 — Patavii] Pattavii $V a_1$ —
 ${}_{14}$ imperator] imperatoris a_1a_2 — ${}_{15}$ amicitiae] amicie a_1 —
 inservivisse] inservisse a_1a_2 — ${}_{16}$ Maias] Mayas Va_1a_2 .

II. Marsilius Ficinus.

Ficinus a. 1469. opus, quod Commentarium in Platonis
 Convivium de Amore inscribitur, Ioanni (Iano) Pannonio, epi-
 scopo Quinqueecclesiensi donavit dedicavitque.² Codex mem-
 branaceus nunc Vindobonae in Bibliotheca Nationali numero
 2472. asservatur (V). Dedicacionem, quam ex hoc codice pri-
 mum Eug. Abel edidit in Analectis in pag. 202—03. (a), in fol.
 1r—v invenimus.

Bibliographia. Iosephus Huszti: Platonista tőrekvések Mátyás ki-
 rály udvarában. Pécs, 1925., Minerva-könyvtár, I. pag. 28—35. — *Idem*:
 La prima redazione del »Convito« di Marsilio Ficino. Giornale critico
 della filosofia italiana, 1927., p. 68—71. — *Idem*: Janus Pannonius, Pécs,
 1931., pag. 248—49., 258—59.

Scriptura. Codicem non sequebamur: scripsimus *ae* (pro *e*): aequus,
 praeterea; (tu)ae. — *mm* (*m*): commetarium.

Annotationes criticae. tit. πρῶντων] corr. in: πρῶτων V —
 ${}_1$ quia] qui a — et Platonicus] corr ex: ex Platoniciis V

III. Galeottus Martius.

Galeottus Martius Narniensis ambos libros De homine
 scriptos Iohanni Vitez de Zredna, archiepiscopo Strigoniensi

² Codex deinde ab Urbano episcopo Agriensi possideri videtur. (V .
 Edit Hoffmann: Régi magyar bibliofilek. Budapest, 1929., pag. 128—29.)

dedicavit. Opus Galeotti nunc in solo codice manuscripto invenimus, qui membranaceus Florentiae in Bibliotheca Medicea Laurentiana Plut. 84., cod. 27. invenitur (*M*). Dedicaciones in fol. 1r—v et 64r invenimus. — Libri duo De homine scripti iam saepenumero excudebantur; incunabuli sunt: 1475. (quem annum fuisse Copinger suspicatus est; Hain 7433. — Nos littera *c* significamus). — 1490. (Mediolani. Hain 7434. Incunabulum librum I. continet; *m*) — 1499. (Hain 7435.; librum I. amplectitur. Hanc editionem videre non potuimus.) — Incunabulum quoddam. (Hain ignorat; editionem in Bibliotheca de Victore Emanuele nominata inveni incunabulis insertam. Sine loco in lucem prodiit. — Signavimus littera *i*) — 1517., mense Febr. (Taurini, *t*) — 1517., mense Maio. (Basileae, *b*) — 1880. (Solam dedicationem libri I. edidit Eug. Abel in *Analectis*, in pag. 172—74. secundum editionem *b* conferendo codice *M*; variantes lectiones littera *a* notavimus.)

Bibliographia. Ludovicus Hain: Repertorium bibliographicum, I—II. Stuttgartiae, Tubingae, Lutetiae Parisiorum, 1826—33. — Guillelmus Fraknoi: Vitéz János esztergomi érsek élete, Budapest, 1879., pag. 230—31. — W. A. Copinger: Supplement to Hain's Repertorium Bibliographicum or Collections towards a New Edition of that Work. I—II. London, 1895—1902.

Scriptura. Inconsequentem scripturam codicis et editionum hoc modo correximus: aequo (*pro equo*), ceteri (*caeteri*), dumtaxat (*duntaxat*), imperitus (*inperitus*), in praesentiarum (*impresentiarum*), Iohannes (*Ioannes*), litterae (*literae*), reicio (*reiicio*), sidus (*sydus*).

Annotationes criticae. 1. (*Mcmitba*) *tit.* reverendissimum dominum] R. D. *omnes* — Strigoniensem] Strigoniensem *m* — epistola] epistola *m* — incipit *om. cmib* — ₁reverendissime pater] R. P. *omn.* — ₄tantaque] tantaque *ba* — ₈iudicium] inditium *M* — ₁₂reverende] venerande *a* — ₁₆emolumentumque] emolumentumque *itb* — direxeris] dixeris *m* — ₁₇reddarque] reddatque *M* — ₁₈hactenus] actenus *M* — 2. (*Mcitb*) — *tit.* Galeotti—feliciter *om. i* — incipit feliciter] inchoat *ct*, ad Iohannem archiepiscopum Strigoniensem *b* — ₁superiori] superiore *i* — reverendissime] R. *omn.* — ₂ratiocinabimur] ratiocinabimur *Mc*

IV. Baptista Guarinus.

Codicem manuscriptum carminis Baptistae Guarini ad Petrum Garasdam scripti non habemus; primum a. 1496. in editione carminum Baptistae Guarini Mutinensi (*M*) in lucem prodiit. (Hain: numero 8127.) E qua editione Eugenius Abel bis edidit: primum in ephemeride, quae Egyetemes Philolo-

giai Közlöny inscribitur, a. 1880., pag. 99. (a_1), deinde in Analectis (1880.), pag. 161—62. (a_2). — Secundum editionem a_2 denuo edidit Marchesi, a. 1900. in pag. 34—35. (m).

Bibliographia. Eugenius Abel: Garázda Péter. Egyetemes Philologiai Közlöny, 1880., pag. 93—100. — *Idem*: Petrus Garázda, ein ungarischer Humanist des XV. Jahrhunderts. Ungarische Revue, 1883., pag. 23—24. — *Conceptus Marchesi*: Bartolomeo della Fonte (Bartholomaeus Fontius). Contributo alla storia degli studi classici in Firenze nella seconda metà del quattrocento. Catania, 1900.

Annotationes criticae. $_1$ potaris] potasti a_1a_2m

V. Nicolaus Machinensis.

Nicolaus Machinensis (Macinjain) de Chatero,³ qui vulgo Nicolaus episcopus Modrusiensis nominatur, opus, quod De mortalium felicitate inscribitur, Iohanni Vitez de Zredna, episcopo Varadiensi dedicavit. Idem opus Pio II. papae quoque dedicavit. Opus cum ambabus dedicationibus codex Vindobonae (V) in Bibliotheca Nationali numero 2431. asservatus continet. Dedicatio in codice folium $1r-v$ occupat. — Dedicacionem ad Iohannem Vitez scriptam ex hoc codice primum Eug. Abel (a) edidit in Analectis in pag. 167—68.

Bibliographia. Guilelmus *Fraknoi*: Miklós modrusi püspök élete, munkái és könyvtára. Magyar Könyvszemle, 1897., pag. 5—6., 16—17. — Iosephus *Huszt*i: Francesco Maturanzio magyar vonatkozású költeményei. Egyetemes Philologiai Közlöny, 1927., pag. 8.

Scriptura. Scripturam codicis non semper servavimus; scripsimus: condicio (*pro* conditio), felix (foelix), iudicium (iuditium), naturae (nature), praecipue (precipue).

Annotationes criticae. *tit.* Varadiensi] Waradiensi Va — $_2$ sancitum] sanctitum V — $_6$ impugnata] oppugnata a

VI. Franciscus Maturantius.

Maturantius (Mataratius; Maturanzio, Maturanzo, Matarazzo) duo carmina scripsit ad Hungaros, et quidem alterum ad Ladislaum Vetesium Pannonium, alterum Pompilianum Pannonium, quem, quis fuerit, ignoramus. Carmina Iosephus Huszti invenit et primum edidit (h) in dissertatione de Maturantio scripta (pag. 12. et 12—13.) e codice Ottoboniano (O) numero 2011. signato, in quo carmina in foliis $57v$ (Ad Ladis-

³ V. *Fraknoi*, o. c. pag. 1. comment. 2.

laum Pannonium) et 62v (Ad Pompilianum Pannonium) inveniuntur.

Bibliographia. Iosephus *Huszt*: Francesco Maturanzio magyar vonatkozású költeményei. Egyetemes Philologiai Közlöny, 1927., pag. 7—18.

Annotationes criticae. 1. ² ab om. *h* — ³ Carystus] Charistos *Oh* — ¹² referet] refert *h* — 2. ⁵ schola] scola *Oh* — ⁶ recitet] recitet *O* — ⁸ Syrtis] Sirtis *Oh* — ¹⁵ mihi] mi *h* — dii *Oh* — ¹⁹ pro] per *h*

VII. Gaspar Tribrachus.

Gaspar Tribrachus (Gaspares Tribraço de Trimbochi) Mutinensis, ita videtur, primum Iano Pannonio scripsit carmen, tum Ioanni Vitez de Zredna septem carmina bucolica dedicavit donavitque. Carmen ad Ianum Pannonium missum in codice Brixiae (in Bibliotheca Queriniana) asservato invenitur (numero C. VII. 1. 15. in fol. 171r), ex quo primum Iosephus Koller (*k*) in opere, quod Historia episcopatus Quinqueecclesiarum (tom. IV.) inscribitur (in pag. 240.) deinde Eugenius Abel (*a*) in Analectis (in pag. 120.) ediderunt. Carmina bucolica cum dedicatione ad Ioannem archiepiscopum Strigoniensem scripta codex Vindobonae in Bibliotheca Nationali (Lat. numero 2489.) servatus continet, et quidem dedicatio, quam nunc denuo edidimus, in folio 1r—v invenitur. Dedicationem primum Guilelmus Fraknoi, (*f*), deinde cum carminibus bucolicis, quae ceterum ad Hungariam plane non attinent, Eug. Abel (*a*) prodidit in Analectis (pag. 178—79.).

Bibliographia. Iosephus Koller: Historia episcopatus Quinqueecclesiarum, tomus IV. Posonii, 1796. — Guilelmus Fraknoi: Újabb adatok Vitez János könyvtárának történetéhez. Magyar Könyv-Szemle, 1879., pag. 5. — Edit Hoffmann: Régi magyar bibliofilek. Budapest, 1929., pag. 66—67. — Iosephus Huszt: Janus Pannonius. Pécs, 1931., pag. 229—30., 380—81.

Annotationes criticae. 1. *tit.* Iano Pannonio] Gaspar Tribrachus (Tribraçus *B*) Iano Pannonio *S. Bka* — ⁴ caret] caret *ka* — ⁶ ni] in *ka* — fama] phama *Bk* — sonat] sonet *k* — 2. *tit.* Ad—Strigoniensem] Tribraçi Mutinensis ad reverendissimum archiepiscopum Strigoniensem carmen incipit *Vfa* — ⁹ tibi, quae] tibi *f* — ¹³ tibi] te *f* — ¹⁴ habenda] beanda *f* — ¹⁵ sis] vis *f* — ¹⁶ tantum] tamen *f* — decere] decore *f* — ¹⁹ di] dii *Vfa* — ²⁴ iuvet] unice *f*

Monumenta Latina Litteraturam Hungaricam Illustrantia

— Tomus III. (1458—72.), pars I., fasciculus I. —

I. Prothasius de Boskowitz.

1.

Prothasius Olomucensis episcopus Galeotto Martio Narniensi, praeceptori suo salutem.

Si te hoc praeceptoris nomine inscribo, ne erubescas, ¹
amantissime, nec mentem alio flectas, ad assentationem vide-
licet, sed me in hoc verbo, ut ceteris, metiaris. Dignitas enim ²
in me numquam tanta erit, quae efficere valeat, ut immemor
fiam mei tuique, tenet me enim vulgata illa sententia diis,
parentibus ac praeceptoribus aequale reddi non posse. Et mihi ³
crede non esse, fuisse, nec contingere aliquam fortunam
honoris aut emolimenti, cuius tu saltem in mente particeps
non efficiaris. Nunc ad litteras tuas, quae mihi et ea die, qua ⁴
et nostri Quinqueecclesiensis redditae sunt, quibus purgatione
acuta more Galeotti uteris, te ad me litteras non dedisse.
Ego vero, cui consilia suffragari possent, ad ea confugere ⁵
nolo simpliciterque dicam me in ea parte, utinam sic bene in
ceteris, more egisse probi discipuli, qui praeceptoris sui aut
eius, quem sequitur, non tantum laudata, verum et aliqua
vituperanda imitatur. Tu enim nedum in me, verum etiam in ⁶
alios pestem illam non scribendi immisisti, qua detentus
non scripsi. Volo igitur pro ea parte aliter me instituere, ⁷
te, ut similiter facias, oro. Laudes tuas relinquo, pro tuis in ⁸
me tibi grates habeo agamque, ne dubites, monumentumque
cum amoris pignore praestabo, tantum ad me veni; si autem
venire non valueris, mihi per cursores occurrentes notifica.
Et cum intra me multa volvam, qua re donatus a me contentus ⁹
discedere valeas, nihil invenio praeter aurum, quod tibi semper
carum fuit. Nisi iam numerum per te et tibi destinatum com- ¹⁰
plevisses, credo tum crescente familia crevisse et famem. Ut ¹¹

igitur illa ex parte expleatur, postquam venies, centum aureos tibi donandos mecum reperies, bonus vicinus. Quare vale, etc. ¹²
 Ex B. XV. Kal. Maias, M-o CCCC-o LXI-o.

2.

Prothasius Olomucensis episcopus fratrem ac amicum carissimum dominum Ioannem Quinqueecclesiensem salutat.

Litterae tuae Kalendis Aprilibus scriptae per tabellarium ¹
 castellani Trenchini redditae sunt, quibus respondere cum
 vellem, supervenerunt aliae regis mei, ut una cum collegis
 ad hoc deputatis in Bro. Nonis Aprilibus constituerer pro
 concludendis tractatibus inter se ac serenissimum regem
 Hungariae habitis. Credens te in aliquo loco vicino offendi ²
 rescribere tardavi; spe frustratus, ut valeo, scribo. Scribis te ³
 dudum optasse consuetudine nostra tam trita frui ceteraque
 tuae humanitatis verba. Non mihi opus est verbis, testes ⁴
 citare possum, quanto fervore ea ipsa desideraverim, quae
 per te narrantur; nec puto me umquam aliquem tibi notum
 vidisse, a quo non inquisiverim singula, quae per te aut pro
 te agerentur. Scit ipse pater communis noster Varadiensis, ⁵
 quantum illum oraverim, ut cooperaretur, etsi non alia causa,
 saltem mei contemplatione te in aliqua legatione regis tui
 mitti. Ego vero si etiam ad legationis officium pro eo tem- ⁶
 pore non essem designatus, efficere tantum vellem, ut tui
 gratia designarer. In hoc usque tempus nihil efficere valui, ⁷
 nec litteras saltem dedi, ut et ego ea te ipsa, qua tu me,
 voce alloquerer; non alia causa praeter hanc rerum turbatio-
 nem, quibus semper anxius fui, tum regni Christianissimi
 motu, tum amicorum in eo degentium gratia vixque iam re-
 perfecta altissimo cooperante respiravi. Quantum et ego tibi ⁸
 debeo, mi amantissime Ioannes, pro his, quae ultra debitum
 tuum in me accesserunt, utque sileam participatas mecum
 litteras, labores cum vigiliis mecum tuos, hoc certe dicam,
 monendo, ut desistas, qui me ultra merita mea singulis effers
 tantique facis, ut apud omnes efficiar minor ipsa infamia
 vero. Vide igitur, quis alterum amando superet: egone, qui ⁹
 vera de te praedico, an tu, qui de me falsa. Deus igitur opti- ¹⁰
 mus, qui nos aetate dignitateque pares fecit, te virtute
 praetulit amoremque hunc mentibus nostris infudit, conservare
 dignetur pro honore ecclesiae sanctae suae. Galeottum no- ¹¹
 strum tecum esse ex litteris suis accipio, quare illi has ad te
 mitto. Si habes Elegantiolas Laurentii Vallae cum invectivis ¹²
 in Poggium, quas mihi Patavii accommodaveras, cum aliquo
 certo cursore aut alio trans mitte. Dominum electum Nitrien- ¹³
 sem non vidi; te, si affuisses, vidissem. Vale et patrem no- ¹⁴
 strum Varadiensem saluta ac mei ex parte ora, ut casum

meum, qui mihi est cum legato imperatorio, reverendissimo domino meo legato declaret ac supplicet; si ultra ea, quae hactenus in me facta sunt, quis temptare vellet, ut se mihi defensorem paret. Velant enim nomine culpam inobedientiam 15 mihi ascribentes, res tamen animorum alia non est praeter eam, qua culpor amicitiae regum inservivisse. Iterum vale, 16 me valere scias. Ex B. XV. Kal. Maias, 1461-o.

II. Marsilius Ficinus.

Marsilius Ficinus Florentinus Ioanni Pannonio, episcopo Quinque Ecclesiensi εἰς παράδειχον.

Commentarium in Platonis Convivium de Amore nuper 1 a nobis editum tibi potissimum, vir clarissime, dicare constitui, quia et Platonicus es apprime et nobis singulari quodam amore coniunctus; sic enim Platonica ad Platonicum, amatoria ad amantissimum retulerimus. Dabit praeterea 2 scriptis nostris fidem auctoritas tua non mediocrem, ut, si quid apud Pannonios habuerint fidei, Ioanni non minus, 3 quam Marsilio debeant. Ita, qui primus ad Histrum redigit 4 Musas, eodem primus rediget et Platonem. Quod quidem fore facillime spero, si modo mea haec amatoria tibi aequae aut saltem non multo minus placeant, ac tuae nobis elegiae 5 probantur. Hae quidem nos summopere delectarunt, utinam 6 nostra tuas aures non offendant! Sed quid ego diffidam ineptus? Amor in me tuus mea commendabit tibi et aucto- 7 ritas tua Pannoniis ipsa laudabit. Amorem vero in te meum, quando id mea non potest epistola, Petrus Garasda, vir doctus et utriusque nostrum familiaris, cum apud te fuerit, declara- 8 bit. Vale. Nonis Augusti, MCCCCLXVIII., Florentiae.

III. Galeottus Martius.

a.

Galeotti Martii Narniensis ad reverendissimum dominum archiepiscopum Strigoniensem De homine epistola incipit.

Cum opus de homine his diebus proxime elapsis absolu- 1 tum, reverendissime pater, diligenter inquirerem, cuinam esset dono tradendum, nemo mihi laboribus nostris dignior visus est, quam tu, Iohannes, archiepiscopo Strigoniensis. Quis 2 enim huius libri, qui duobus voluminibus concluditur, magis idoneus possessor habebitur, cum de homine inscribatur, quam is, qui est omnium clarissimus, adeo, ut iure ac merito

homo per excellentiam nominandus sit, quod uni dumtaxat
 tibi aetate nostra convenit. Nam cum totum fere orbem
 animo perlustrarim, nemo profecto est, quem tecum conferre
 possimus. In te enim tot tantaque virtutis ornamenta conspi-
 cimus, ut non modo virum unum, sed totum fere genus hu-
 manum simul congesta decorarent. Nec in praesentiarum de
 dignitate corporis, qua ceteros mortales antecellis, sed de
 animo, hoc est ipso homine loquor. Tu enim iuris ponti-
 ficii consultissimus, theologiae peritus, philosophiae princeps
 totiusque matheseos pater, oratoriae ac poeticae alumnus ea
 documenta doctrinae et ingenii tui iam dudum dedisti, ut
 plures, ita nunc loquar, in te animas, hoc est veros homines
 esse cernamus. Non enim tam propensa benivolentia in viros
 peritos esses, nisi iudicio animi tui honore dignos esse
 cognosceres; unde fit, ut doctissimis viris recte consultum
 iudicemus. Ipsi enim iudicium tuum, quod acutissimum esse
 intelligunt, reformidantes nihil ad te afferunt, nisi summa
 industria excultum et acri diligentia elimatum. Nam inepti-
 arum, quibus nostra tempora redundarunt, causam in im-
 peritos principes reiciunt. Qui cum doctos pariter et indoctos
 uno ordine habuerint, effecerunt, ut pauci verae doctrinae
 essent amatores. Ex qua quidem re factum est, ut homines
 non tam virtutis, quam munerum fuerint sectatores. Sed tibi,
 reverende pater, studiosi ob munificentiam debent multum.
 Cum vero iudicii tui stimulo ad studium litterarum veramque
 doctrinam maioremque industriam impellantur, ut sese tibi
 perquam maxime obnoxios fateantur, necessarium est. Maiora
 enim iudicii tui acumen, quam munificentiae vis ipsa con-
 tribuit. Illud enim doctos accuratosque reddit, haec opulentos,
 sed haec non aequae pretiosa esse manifestat Horatius: Vilius
 argentum est auro, virtutibus aurum. Sed cum tibi, reverende
 pater, divitiarum copiam fortuna tribuerit et litterarum princi-
 patum paraverit industria, rei publicae administrationem op-
 tima de te opinio plurimarum rerum usus et temporum con-
 ditio attulerint, ita vixisti, ut divitias ad liberalitatem,
 doctrinam ad exemplum, rei publicae gubernacula ad com-
 munem usum emolumentumque direxeris adeo, ut pauperes
 ditaveris, imperitos erudiveris remque publicam fluctuantem
 ita firmaveris, ut mole sua iam stare, nec inimicorum iniuriam
 nec hostium minas curare videatur.

His igitur causis moti hunc librum mittimus expectantes
 iudicium tuum. Quod si in rem nostram candidum fuerit,
 sublimi feriam sidera vertice reddarque ad alia quoque
 scribenda alacrior. De his hactenus; nunc ipsum hominem
 videamus, in quo nobis ordo erit, ut exteriora prius, deinde
 interiora narrentur et a capite, ut par est, exordium sumitur.

b.

Galeotti Martii Narniensis De homine liber secundus incipit feliciter.

Exteriorem hominem libro superiori, reverendissime pater,¹ satis superque descripsimus secundum animi nostri propositum. Nunc id aggrediemur, quod in pollicitis fuerat, nam de interiore loquemur eo ordine, quo ab initio coepimus, a capite enim, cum exteriora narravimus, nobis fuit initium et iam, cum de interioribus ratiocinabimur, ab his, quae in capite sunt, sumemus exordium.

IV. Baptista Guarinus.

Ad Petrum Garasdam Pannonium.

Nescio, Lethaei potaris fluminis undas,
 An tua Cimmerius clausurit ora sopor,
 An tibi somnifera pulsarit tempora virga,
 Quem peperit summo lucida Maia Iovi,
 An Phariae leto reginae cognita serpens 5
 Intulerit membris vulnera blanda tuis,
 Mandragorae an biberis succos apiique venenum,
 Pocula vel gelidis mixta papaveribus,
 An lolium et mensis tibi sit lactuca secundis,
 Aut quicumque liquor somnia lenta parit, 10
 An gravis oppressos teneat lethargus ocellos,
 An foveant somnos Latmia saxa tuos.
 Nanque ego sponte tua nunquam cecidisse putabo,
 Immemor ut subito coeperis esse mei,
 Cui tua sunt semper tractanda negotia curae, 15
 Cui fueris, quam sis, carior, ipse tibi.
 Nam mihi tu primis longe dilectus ab annis,
 Cum similis studii me tibi iunxit amor.
 Si quid scripsissem, primus mea scripta legebas
 Et mihi tu primo scripta legenda dabas. 20
 Primus nosse iocos et seria nostra solebas,
 Arcanis poteras solus adesse meis.
 Tu convictor eras certoque domesticus usu
 Non sine te noctes, non abiere dies;
 Tu foris atque domi, plena tu gratus in urbe, 25
 Tu vacuo nobis rure sodalis eras.
 Si quid iucundum nobis fortuna tulisset,
 Reddebant hilares prospera fata duos,
 Si qua dies aderat nigro signanda lapillo,
 Laedebant pariter fata sinistra duos. 30
 Non tam pura fides, nec priscis foedus amicis,

Quam mea nexa tuis pectora pectoribus.
 Aut igitur nobis aliquid rescribe, Garasda,
 Aut torpore gravi te fateare premi,
 Aut, si forte meo credis te vulnere laesum, 35
 Dic, animum quaenam verterit ira tuum,
 Nam vel suspectae purgabo crimina noxae,
 Vel te ipso pendam iudice supplicia.

V. Nicolaus Machinensis.

Reverendissimo in Christo patri et domino domino Iohanni dei gratia episcopo Varadiensi Nicolaus, episcopus Modrusiensis salutem.

Manus tuo nomine susceptum tardius forte, quam ex-¹
 pectaras, absolvi gravissimis rei publicae curis impeditus,
 tametsi ipsa rei gravitas, de qua disserui, longiorem moram
 postulaverit, nec concito, sed tardiore gressu ambulandum,
 ubi omnes sapientes haud parum laborasse dinoscuntur et
 praecipue, qui in difficillimo saltu novam cupit semitam mon-
 strare. Nosti etenim omnium sapientum sententia, qui de²
 divinis scripserunt legibus, sancitum esse humanum genus sui
 finis, cuius gratia procreatum est, nunquam rationem cogno-
 visse, nec ullo naturae ductu ad eius cognitionem potuisse
 devenire, nisi divino illud nobis oraculo fuisset revelatum.
 At nobis contra visum est praecipue ab illa felicissima et³
 a me semper memoranda hyeme, quam apud te Varadini cum
 plurimis viris doctissimis in bibliotheca illa tua dignissima
 inter innumera clarissimorum virorum volumina saepius resi-
 dentes iocundissimam amoenissimamque transegimus. Videor⁴
 enim mihi videre in ipsius naturae legibus misericordem
 deum ea reliquissis vestigia, ex quibus non magno labore
 nostrae condicionis statum colligere valeamus. Quam nostram⁵
 sententiam et defendere et stabilire cupientes necesse fuit
 adversariorum rationes, quibus impugnare hanc consueverunt,
 refellere et eas, quibus suam statuunt sententiam, infringere.
 In quo quidem, quoniam mihi adversum tot et doctissimos⁶
 et sanctissimos viros contendendum fuit et, ne aut temeritatis
 aut perfidiae crimine accusarer, visum est hanc nostram
 disceptationem prius ad sedem apostolicam deferendam, ut
 ipsius gravissimo sanctissimoque iudicio vel ruat vel con-
 sistat: quod utique abhinc fere biennium et fecimus atque
 usque in hodiernum diem plurimorum, praecipue summi
 pontificis auctoritate collaudata est, a nemine vero aperte
 impugnata. Quam ob rem eam nunc ad te transmisi, ut, si⁷
 quid machinarum in hanc consurgat, te virorum doctissimo
 disertissimoque patrono utar; tua siquidem interest monu-
 mentum tibi dicatum tueri ac conservare.

VI. Franciscus Maturantius.

1.

Ad Ladislaum Pannonium.

Quas tibi, quas referam triplici pro munere grates,
 Portasti Veneta quod modo ab urbe mihi?
 An quot Hymettus apes, quot candida saxa Carystus
 Et mare quot pisces, quot polus astra gerit,
 An quot maturae messis cernuntur aristae, 5
 An quot silva feras, corpora pulvis habet?
 Accipe cum domino, vates, rude carmen: amoris
 Indicium et gratæ pignora mentis habe.
 Crede mihi: vano tantas mihi syrmate grates
 Quisquis agit, donum maius habere cupit. 10
 Ille magis vero te complectetur amore,
 Qui referet grates, quot numerare queas.

2.

Ad Pompilianum Pannonium.

Dic mihi, quid feci, quo te, dic, crimine laesi,
 Ut fugias vultus, Pompiliane, meos,
 Dic mihi, cur nunquam recitas tua carmina nobis,
 Saepe soles media quæ recitare via. 5
 Iam schola, iam pueri, tenerae et novere puellae,
 Iam reticet versus, nulla taberna tuos.
 Solus praeteror, veluti violenta Charybdis
 Quæque vorat mersas Syrtis iniqua rates.
 At memini, quondam nobis tua scripta legebas:
 Ipse tui iudex carminis unus eram. 10
 Quin etiam multos tenuit domus una per annos,
 Communis nobis mensa torusque fuit.
 At dices: Vivos carpis, Francisce, poetas
 Et vix, quem tollas laudibus, unus erit.
 Sint mihi di testes nullum me dente maligno 15
 Et nullum verbis sollicitare meis.
 Saepe etiam vitium soleo laudare poetae,
 Lividulum me ne credula turba putet.
 Hanc pro me fugias, cogor sic credere, causam,
 Quod recitas versus, Pompiliane, meos. 20

VII. Gaspar *Tribrachus*.

1.

Iano Pannonio.

Scire libens, o Iane, velim, si numina frontis
 Ianus habet geminae, cum sit imago bifrons.
 Nam mihi nequaquam verum cecinisse videntur,
 Qui dant posticis, quod cavet ille, dolis.
 Ianus es et taciti Iano tamen improba furis 5
 Vis nocuit, fictum ni nova fama sonat.
 Falsane sic igitur de Iano fabula cantet,
 Scire cupido mihi est, dirige, Iane, velim.

2.

Ad archiepiscopum Strigoniensem.

Quo tua non dubites totum volitare per orbem
 Nomina et a Latiis gentibus usque coli,
 Accipe, Strigoniae pater et sanctissime praesul,
 Te simul et rebus munera digna tuis.
 Accipe, Pannoniae iubar indelebile gentis, 5
 Quae referant nomen tempus in omne tuum.
 Tu dare, quod fulvis aurum Pactolus harenis,
 Quod Tagus Hesperio devehit orbe, potes
 Et tibi, quae patriis opulentia montibus exit,
 Exuperat, quantas Croesus habebat opes, 10
 Sardoos lapides atque altera dona, pyropos
 Quasque suis gemmas colligit Indus aquis.
 Haud ergo crediderim tibi maxima dona videri,
 Quae melius per te cessit habenda deus.
 Ista rear, cum sis populorum pastor et auctor, 15
 Ista rear tantum posse decere patrem.
 Hic pecudes Poeman armentaque buccera servat,
 Tu populis Poeman, tu pater ille tuis.
 Ista rear, paucis quae di rarissima donant,
 Munera longe animo grata futura tuo. 20
 Haec tamen, ut vultu amplecti dignere secundo,
 Haec precor, ut sacras tangere digna manus,
 Dumque tibi his aliquid resonabit fistula silvis,
 Quod iuvet, haec Tribrachi sint monumenta, pater.

INDEX.

t(itulus), v(el)

- B. I.* 1. ¹² 2. ¹⁶
Boskovitz, Prothasius de, Olomucensis episcopus I. 1. *t.*, 2. *t.*
Bro. I. 2. ¹
Cariptus VI. 1. ³
Charvbdis VI. 2. ⁷
Christianissimum regnum I. 2. ⁷
Cimmerius sopor IV. ²
Corvinus, Mathias, rex Hungariae I. 2. ¹
Croesus VII. 2. ¹⁰
Ficinus Florentinus, Marsilius II., II. *t.*, ²
Florentia II. ⁸
Galeottus Martius Narniensis I. 1. *t.*, ⁴ 2. ¹¹ III., III. a. *t.*, b. *t.*
Garasda Pannonius, Petrus II. ⁷ IV. *t.*, ³³
Guarinus, Baptista IV.
Hesperius orbis VII. 2. ⁸
Hister II. ³
Horatius Flaccus, Q. III. a. ¹⁵
Hungaria I. 2. ¹
Hymettus VI. 1. ³
Ianus (deus) VII. 1. ² ⁵ *bis.*
Ianus (Ioannes) Pannonius, episcopus Quinqueecclesiensis (Quinque Ecclesiensis) I. 1. ⁴ 2. *t.*, ⁸ II. *t.*, VII. 1. *t.*, ¹ [5] ⁷ ⁸
Indus VII. 2. ¹²
Ioannes Vitez de Zredna, episcopus Varadiensis, postea archiepiscopus Strigoniensis I. 2. ⁵ ¹⁴ III. a. *t.*, ¹ V. *t.*, VII. 2. *t.*
Ioannes, v. *Ianus* (Ioannes) Pannonius.
Iuppiter IV. ⁴
Ladislaus Pannonius VI. 1. *t.*
Latiae gentes VII. 2. ²
Latmia saxa IV. ¹²
Lethaeum flumen IV. ¹
Machinensis, Nicolaus, episcopus Modrusiensis V., V. *t.*
Maia IV. ⁴
Mathias, v. *Corvinus*, Mathias.
- Maturantius*, Franciscus VI., VI. 2. ¹³
Modrusiensis, v. *Machinensis*, Nicolaus, episcopus Modrusiensis.
Musae II. ³
Nicolaus, v. *Machinensis*, Nicolaus, episcopus Modrusiensis.
Nitriensis, dominus electus (episcopus) I. 2. ¹³
Olomucensis, episcopus, v. *Boskovitz*, Prothasius de, Olomucensis episcopus.
Pactolus VII. 2. ⁷
Pannonia gens VII. 2. ⁵
Pannonii II. ² ⁶
Pannonius, v. *Ianus* (Ioannes) Pannonius.
Pannonius, v. *Ladislaus* Pannonius.
Pannonius, v. *Pompilianus* Pannonius.
Patavium I. 2. ¹²
Pharia regina (Cleopatra) IV. ⁵
Plato II. ¹ ³
Platonica (opera) II. ¹
Platonicus (annot. crit.: Platonici) II. ¹ *bis.*
Poeman, pastor VII. 2. ¹⁷ ¹⁸
Poggius, Ioannes Franciscus I. 2. ¹²
Pompilianus, Pannonius VI. 2. *t.*, ² ²⁰
Prothasius, v. *Boskovitz*, Prothasius de, Olomucensis episcopus.
Quinqueecclesiensis, episcopus, v. *Ianus* (Ioannes) Pannonius.
Sardous lapis VII. 2. ¹¹
Strigonia VII. 2. ³
Strigoniensis, archiepiscopus, v. *Iohannes* de Zredna.
Syrtsis VI. 2. ⁸
Tagus VII. 2. ⁸
Trenchinus, castellanus I. 2. ¹
Tribrachus, Gaspar VII., VII. 2. ²⁴
Valla, Laurentius I. 2. ¹²
Varadiensis, episcopus, v. *Iohannes* Vitez de Zredna.
Varadinum V. ³
Veneta urbs VI. 1. ²



